praemisso quodam raro dyptongo et fractis in gutture syllabis non Felix, sed quoddam nomen mihi inexprimibile loco ejus ponebant. Illam difficultatem cum illo nomine postea melius notavi. Fuit enim mihi familiaris factus quidam Sarracenus, Calinus minor, qui italicis verbis aliquotiens petivit nomen meum. Cui cum eum dicerem, nullo modo poterat ipsum exprimere, sed horribile quoddam nomen loco ejus expressit, de quo mirabar, cum fuerit in lingua italica peritus. Quam statim ergo nomen peregrini et sui genitoris inscriptum fuit, fuerunt ibi Sarraceni deputati, qui mox ipsum peregrinum rapuerunt, et trahebant ad introitum cujusdam tenebrosae et vetustae habitationis ruinosae testudinis, in quam ipsum contrudebant, sicut ovis jam emulgenda contrudi in stabulum solet. (**B**) Porro in ipsa spelunca septennis est indulgentia (†), quam consequitur peregrinus, dum devote ingressus fuerit. Et dicuntur haec speluncae cellaria S. Petri. Propter has indulgentias et alias consequendas multi de peregrinis fecerant prius in galêis mihi et aliis suas confessiones, et aliqui hic in litore maris confitebantur. Igitur cum in speluncas essemus intrusi, invenimus ipsum locum mansionis nostrae abominabiliter foedatum et deturpatum urina et humanis stercoribus necerat locus sedendi nisi in stercoribus. Ideo unusquisque locellum pro suo corpusculo cogebatur mundare, et stercora pedibus removere ad medium: unde factum est, quod in medio habitaculi congestus fuit magnus cumulus stercorum et immunditiarum. Et locavimus nos ad parietes per circuitum unusquisque ad latus alterius, sicut in galêa, super nudam et madidam humum. Ecce quam miserum pandocheum, quam defectuosum hospitium, quam immundum habitaculum! Numquid merito posset peregrinus devotus et Deo familiaris ex pia impatientia vel potius admiratione querulari et dicere: o Domine Jesu, quali curialitate recipis tuos peregrinos, terrae tuae sanctae hospites? de transmarinis et cisalpinis et de extremis mundi partibus venientes, ut curiae tuae se praesentent, te honorent, seque tanquam milites regi suo subjiciant. Numquid, piissime Jesu, propter te tanto itinere fessis et longae viae labore confectis debueras melius sternere, quam in irrenatorum foetidissimo stercore? Numquid non habes alium

210
208
214
204
219
199
259
159
309
109

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;